



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Qvarta Veritas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

& etiam in questionem uocant. Sed iam Fratris nenas
audiamus.

QVARTA VERITAS.

Sancti qui obdormierunt & sunt in gloria, sciunt multa
de nobis. Qui nesciant sancti presentia, cum & praeterita
cognoscant? Quis docuit uirum desideriorum Daniele

Daniel. 9. et 10.

oporat. 21. et ult.

math. 22.

1. Regum. 18.

Sapient. 7.

Ps. 90.

Hebr. 1.

Quentura sunt per uisiones, nisi sanctus angelus? Dan. 9. 10.
Quis Ioanni Apocalypsim ostendit alius praeter angelum?
Apoc. 21. & ultimo. Et similia in sacris literis toties reperi-
untur, ut caecus aut omnino temerarius negauerit.

Dices non item habere de hominibus, at noster aduer-
sarius generaliter negat, scientiam sanctorum, quam si ange-
lis tribuerit, nos inuenimus homines similes angelis, Matt.
22. Sed illud in ^{al}ies intelligendum post resurrectionem,
imo post resurrectionem similes, sed ante similiores, nunc
quidem spirituales tantum ut angeli, sed tunc & corpora-
les secus quam angeli.

Dicitur autem & de Samuele, quomodo post obitum
uentura nunciarit, 1. Regum 18. Sciunt igitur sancti multa
praesentia de nobis.

Modus cognoscendi a nobis triplex traditur. Primus?
Cum Deo sapientissimo in se, hoc est, in sua essentia siue
diuinitate, sanctis illa placuerit ostendere, hanc cognitio-
nem nostri Theologi, cognitionem in uerbo appellant, nec
abre, candor est enim lucis & speculum sine macula, Sapi. 7.

Secundo, cum angeli (quibus Deus clementissimus, man-
dauit de nobis, ut in omnibus uis custodiatur, Psal. 90.) Vota
nostra & facta ad sanctos deferunt, nec mirum, omnes enim
sunt administratorij spiritus, Hebr. 1.

Tertio, cum Deo potentiss, aliquem ex sanctis ad nos
mittere

mittere placuerit, ut de Samuele &c. de Moyse & Hesta,
Matth. 17. De angelis autem abunde. Vides igitur hos mo-
dos procul dubio, ex sacris scripturis habere firmitatem, ne
temeraria facilitate contemnantur. Hactenus ille.

Matth. 17.

CONFUTATIO.

Verum est quod uulgo dicitur, simplex est ueritatis ora-
tio. Hic homo, cum Doctor sit Parisiensis, scit & scien-
tificè & magistraliter pro & contra disputare, non enim
in Sorbona oleum & impensam pdidisse sibi persuasissimū
habet, cuius Theologia talis est, qualem Monacho dignam
dixeris, etiam si toto erret cœlo. Probat sanctos mortuos
in gloria, multa de nobis scire, confirmans per uisiones Da-
nielis, & Ioannis Apocalypsim, quasi hic esset status con-
trouersiae nostrae. Nobis sermo est de idertuis, post resur-
rectionem similes, sed ante similiores, nunc autem spiritua-
les tantū ut angeli, sed tunc & corporales secus q̄ angeli,
ait Frater, similes habent labra lactucas. Diuinet qui uolet
Fratris coniecturas, nam mihi religio est, hanc mirabilem
eius Theologiam suis depingere coloribus.

Verum est, errorem unum plures sequuntur: prius igno-
rabā angelos corporales esse, sed ex Fratre didici sanctos
tunc & corporales futuros secus quam angeli, quasi & ipsi
corporales sint, quāuis spirituales eos esse admiserit prius,
Vereor ne hic Frater Antropomorphitarum & Turcarum
more adfectus sit. De Samuele dixi superius.

Meminit Augustini & Gregorij, quorum hic (inquit)
noster aduersarius, nec uita, nec scientia, ne uestigia quidem
pedum lingere dignus esset, quorum uitam & scientiā non
opuserat Fratri in medium ferre, nec eorum uestigia (ut hy-
pocritae Monachi solent) lingi, sed imitari debent.

e 2

De